Ordinis Carmelitarum Prouinciæ Boethicæ.

Stantibus &c.

Dubium = *An substineatur electio Prouincialis, de qua agitur, in casu &c.*

1 *Eme, & Rme Dne.* CVM in relatione huius Causæ habita *die* 10. Maij proxime præteriti nulla capta fuerit resolutio, sed rescriptum =*Dilata* = cura, & studium Eminentissimi Ponentis, pro eius benignitate assumptum, hoc fuit, vt Partes aliquo temperamento ad concordiam reducerentur. Adhibuit proinde operam quoque Reuerendissimi Episcopi Bobbiensis, olim Ordinis Carmelitarum Generalis, auditisque pluriès Partibus, omnem penitùs inuenit respectu Vocalium Principalium eius nutibus venerationẽ, vtpotè qui iustitiam suę causę prudentissimo illius arbitrio subiecerunt; non sic tamen contingit ex parte R. P. Didaci Rios aduersarij, nam pro illo interessentes à proposito desciuerunt, vt ab eodem Eminentissimo Ponente audiri supplicamus. Redit proptereà Causa ad trutinam, sperantque omnino Vocales Principales fauorabile rescriptum *negatiuum*, ob nullitatem apertissimam controuersæ electionis, quæ quantò magis examinatur, eò magis semper euadit manifesta.

2 Talis profectò est nullitas, quæ descendit ex *restrictiua*, iuxtà quam coarctatà fuit electio ad sex tantùm personas, cum in illa Prouincia solus numerus Magistrorum ascendat ad quinquaginta sex, ex quibus viginti quinque sunt de numero, & reliqui extranumerales, inter quos, primum habuit locum P. Rios aduersarius, vt in *Summario nostro num.* 1. Hæc autem coarctatio ad certas personas cum repugnet omnimodæ libertati requisitæ à Sacris Canonibus in electione, eo ipso importat nullitatem securæ electionis; vt sunt *Text.in Cap.Cum terra 4.de election., et Cap.Vbi periculum §.Cæterùm eodem tit.in 6.* & Clementina: *Ne Romanus pariter de elect.*, Sac. Congregatio apud Passerin. *de elect. cap.* 2. *num.*26. ibi = *Sacra Congregatio sub die* 13. *Octobris* 1585. *declarauit, quod non licet Generali N. proponere duos, tres, quatuor, decem, ex quibus vnus eligi possit Prouincialis, vel Prior* = quam, etiã refert D.Vrsaya *Discept.Eccles.tom.*1.*part.*1.*discept.*13.*n.*73. vbi concludit pro nullitate electionis: Roderic.*quæst.Canon.*51. *auct.*11.*lib.*2., Donat.*prax.regul.tom.*2.*tract.*1.*quæst.*10.*num.*11. Samuel.*de elect.tract.*2.*controu.*4.*num.*1., *& seq.*, Passerin.*eodem*

 tract.

tract.cap.2.nu.12., Matheuc.*de Offic.Cur.Ecclesiast.cap.18.nu.2.*, apud quos resolutiones Sac.Congregationis. Card.de Luc.*disc.3.num.11.de regular.*, Pignatel.*consult.77.num.9.*, Rota *decis.37.num.6.coram Ottobon.*, & *decis.279.num.25.*, & *seq.parte 9.recentior.*

3 Habet ergo electio, de qua agimus, in sui facie initium patentissimæ intrinsecæ nullitatis, quam si Pars Aduersa vult excusare, necesse est, quod proponat abrogationem Canonicæ Sanctionis; quam certè inducere non potest illa Ordinis Constitutio *part.4.cap.15.num.2.*, vbi determinatur, *quod nullus possit eligi in Prouincialem, nisi fuerit nominatus, & præsentatus Gremialibus Capituli à Priore Generali, vel eius Vicario de ipsius consensu*. Etenim cum certum sit, quòd quatenùs Constitutio ista loco citato importat facultatem nominandi certas personas, extrà quas cadere non possit electio, disponit omnino contra ius Canonicum in dicto *cap.Cum terra 4.de elect.*, estque correctoria, imo contraria dispositioni Iuris communis, hoc sanè casu non sufficit vllo modo allegare prædictam Constitutionem, sed ostendere etiam opus est, vt vim aliquam habeat, quòd sit à Summo Pontifice confirmata in forma specifica, vt communitèr docent DD. *in cap.Porrecta de confirmat.vtil.vel inutil.*, Post. *resolut.130.n.28 & 32.*, Bonden.*Collect.legal.2.num.103.*, Conciol. *ad Statut.Eugub.in Prælud.nu.77.*, Card.de Luc.*de Iurepatr.disc.67.n.12.* bon.mem.Ansald. *in addit. ad decis.86.num 61.*, Rota *decis.331.num.10.part.4.*, & *decis.333.num.27.part.11.rec.*

4 Quod autem Constitutiones Ordinis non habuerint huiusmodi confirmationem in forma specifica, ipsi Aduersarij tenentur fateri; cum notorium hoc sit in Religione, & ex corpore ipsarum Constitutionum appareat: quandoquidem in vltimo illarum capite, in quo expressè, & præcisè tractatur de illarum confirmatione inueniuntur illa verba = *Præsentia statuta confirmamus* = Et infra = *Constitutiones prædictæ iudicio RR. PP. ex decreto Capituli Generalis Romæ celebrati anno 1625. in die Pentecostes recognitæ, approbatæ, & publicatæ, & ad normam Sacri Concilii Tridentini redactæ, ac iussu eiusdem Reuerendissimi Patris in lucem editæ* = Quæ omnia, cum demonstrent recognitionem, approbationem, & publicationem ex decreto Ordinis factam sola auctoritate Definitorij, nullum vestigium important *de Confirmatione Apostolica in forma specifica*, imo nec in forma communi, quæ si adesset, certè in prædicto capite fieret de illa specialis mentio, vt suo loco fit de confirmatione Regulæ eiusdem Ordinis; & eo potissimùm, quòd cum eædem Constitutiones nouissimè fuissent reimpressæ anno 1722. nec verbum sit de Confirmatione Apostolica, nec de decreto illam impetrandi, vt fit in omnibus Religionibus, quæ approbatas suas Constitutiones habent.

Pa-

5 Patet etiam ex specifico testimonio, quòd habemus ad calcem Actorum Capituli Generalis celebrati *anno* 1680., in quo refertur, quòd anno 1678. consulta fuerat Sac.Congreg.Concilij pro parte tunc Generalis, & Procuratoris Generalis Ordinis super subsistentia cuiusdam Constitutionis *part.1.cap.22.*, virtute cuius illis Religiosis, qui habuerant communem administrationem in Ordine, concessum erat disponere de bonis suis intra eumdem, & cum hæc videretur esse quædam testandi species, rationem dubitandi expresse desumebant, ex quo, ibi = *Hæ Constitutiones non sunt à Sede Apostolica confirmatæ*. Sacraque eadem Congregatio respondit *negatiuè*, subscribente Eminentissimo clar.mem. Card.Columna Præfecto, abrogataque ex tunc fuit prædicta facultas, quatenùs iuri Canonico contraria, nec à Sede Apostolica confirmata in forma specifica, vt opus erat ad illius subsistentiam *Summ.num.* 2.

6 Nec obstare valet, quod in aliquibus actibus forsàn exaduerso allegandis, dictum sit: illas esse Apostolica auctoritate confirmatas, quia hæc relatio sine relato ad certos particulares fines producta, nihil prodest, & quando hæc confirmatio aliunde ostendi non potest, sed imo per expositionem Ordinis supra deductam potiùs excluditur, tantò minùs quæuis alia relatio quicquam operari valet. Quod si agatur de tacita, seù præsumpta; regula est, quod vbi non constat de confirmatione facta per Papam ex certa scientia, & Constitutionibus ipsis præcisè discussis, alia quæuis confirmatio, quæ haberi, vel præsumi posset, intelligitur de confirmatione in forma communi, vt tradit *Card. de Luc. de iudicijs disc.35.num.63.* ibi = *Vbi non constet de confirmatione expressa, adeò vt de tacita, seù præsumpta agatur, tunc regula est; vt censenda veniat in forma communi* = Et de *seruitut. disc.61. n.12.* vbi ex deductis per *Buratt. decis.6. & adden. ad eumdem ibidem, & decis.188., & Rota decis.438. par.4. recent. tom.3.* concludit: Quod in exorbitantibus, & odiosis, non sufficit confirmatio præsumpta, etiam resultans ex longissimi temporis obseruantia, sed requiritur clara, & specifica confirmatio; Quæ tamen in forma communi si adesset in ijs partibus, in quibus Constitutiones sunt contrariæ dispositioni Iuris, & naturali Eligentium libertati, illas conualidare non posset, vt similiter tradunt *Conciol. ad Stat. Eugub. dicto Prælud. num.71. Rocc. de contract. Minor. Glosa 8. §.2. num.9., & seq. Tartagl. de reser. stat. art.32. num.26., & seq., & 32. pariter cum seq. Bonden. dict. collect.2. num.102., & seq. tom.1. Rota decis.149. num.12. coram Ottob., & decis.94. num.11. par. recent.* Ex quibus omnibus concluditur in vim præfatæ Constitutionis talem restrictiuam minimè fieri potuisse, & consequentèr ex hoc capite electionem controuersam nullam omninò remanere.

Nec

7 Nec subsistit, quod Reuerendissimus Præses vsus non fuerit huiusmodi facultate, eo quia dumtaxat nominauerit sex Religiosos, non tamen explicuerit exclusiuam alijs datam, vt exaduerso allegatur. Nam hoc illico cessat, si attendatur, quod de nullo similitèr ex Reuerendis PP. Generalibus ìn suis nominationibus omnium Magistrorum in genere, quas faciebant pro electione Prouincialis, inuenietur, quod expresserint exclusiuam aliorum, & tamen omnes Gremiales benè semper intellexerunt alium extra nominatos Magistros eligere non posse, existimantes, quod aliter contrairent facultati per prædictam Constitutionem concessæ. *Nullus possit eligi &c.* quam in sua facultate semper exprimebant, vt in omnibus, quæ exhibentur satis apparet. Cum autem in præsenti Reuerendissimus P.Generalis in sua facultate expresserit prædictam exclusiuam ibi = *Extra quorum numerum, & conditionem non possit alius eligi* = & prædicta facultas, virtute cuius erant exclusi à voce passiua, qui non fuissent propositi à Reuerendissimo Præside, lecta fuisset vniuerso Cætui Capituli, *Summario num.* 3., factaque in vim huius facultatis nominatione illorum sex tantummodo ibi = *Deindè Excellentissimus Præses CVM AVCTORITATE EXPRESSA IN LITTERIS R. P. N. GENERALIS, & confirmatis à Sede Apostolica erga nominationem ad Officium Prouincialatus RR. PP. MM. Fr. Didacum Thomam de los Rios &c.* = ipsa nominatio de sui natura erat coarctatio, & restrictio in sensu omnium Gremialium, quin sit locus præcisioni exaduerso allegatæ inter proponere, & restringere; quotiescumquè enim intimatum fuerat Vocalibus iuxtà prædictam facultatem concessam Excellentissimo Præsidi, non posse eligere, nisi vnum ex nominatis ab ipso, facta post nominatione in sex tantummodo, nominatio de se ipsa, sine noua aduertentia, erat restrictio, & exclusio omnium aliorum, qui non fuerant propositi ad illud munus, nam plenariam habebat correlationem cum prælecta facultate, & expressum satis dicitur, quod venit ex intentione, & natura ipsius actus *Text. in cap. cum quid ff. si certum petatur. Gratian. discept.* 679. *num.* 10., *Rota decis.* 28. *num.* 5. *par.* 4. *tom.* 2., *& decis.* 429. *num.* 14., *& seqq. par.* 18. *rec.* Vnde vt aliud intelligere possent Gremiales, opus erat è contrario, vt illi clare exprimeretur.

8 Nec comprehendi potest, quomodo Pars Adversa dicere, & allegare audeat Reverendissimum Præsidem usum non fuisse facultatibus sibi concessis, quando in sua responsione *num.* 6. ait: *Dominus autem Excellentissimus, & Reverendissimus Præses DECLARANDO SE VELLE VTI OMNIBVS FACVLTATIBVS SIBI ATTRIBVTIS, ad Officium Provincialatus proposuit sex qualificatos Magistros &c.* quæ verba constant ex actis ejusdem Capituli, & uti relativa ad facultates, omnimodam im-

important restrictionem, prout in iisdem facultatibus continetur.

9 Nec ista restrictio ullomodo excusari potest aliis prætextibus ex adversò insinuatis. Primò scilicèt, quia in ea intercesserit auctoritas Apostolica; Secundo quod fuerit licita propter necessitatem; Tertio, quod ab Electoribus acceptata fuerit; Quartò demum, quod de illa sint aliqua exempla in Religione. Prima namque statim cessat; nam si Auctoritas Apostolica unicè colligitur ex Brevi SSmi relato *in contrario Summ.num.1.* patet illud emanasse ad petitionem Reverendiss. Generalis in simplicem confirmationem suæ deputationis factæ de Reverendiss. Archiepiscopo in Præsidentem futuri Capituli; sicque in eo insertæ sunt facultates illi attributæ per Epistolas ejusdem Reverendiss. Generalis, qui in illis exposuit conformes esse constitutionibus Ordinis ibi = *Sicut per Constitutiones Ordinis sancitum est*, nec per hoc dici potest, quod eædem facultates contrariæ dispositioni Iuris Canonici, & libertati Eligentium confirmatæ fuerint, aut concessæ, prout necesse fuisset, ab ipso Papa, qui per hujus generis confirmationem solummodò approbavit facultates, quæ legitimè à Reverendiss. Generali juxtà Constitutiones Ordinis, & Sacros Canones concedi, & transferri potuerunt in eumdem Reverendiss. Præsidem; nihil tamen de novo tribuit, nulloque modo progressus est ad ampliandas, & extendendas contra Sacros Canones, & Constitutiones Ordinis facultates, quas Reverendissimus P. Generalis, ut vidimus, non obtinebat, neque poterat idcircò transferre. Ita Canonistæ *in cap.1.de confirmat.util. vel inutil. Pignatell.consult.71.num.2.& 3.tom.5. Rota dec.unica num.2.de confirmat.cor. Cassad.decis.702.num.6.part.1.divers.dec. 267.num.10.decis.229.num.15.par.19.recen.* & pleniùs *dec.154. nu.24.cum seqq.cor.clar.mem.Card.Caprara*.

10 Parique facilitate tollitur secunda; nam quando etiam restrictio Eligendorum posset fieri licita, ex urgenti necessitate, de quo modo nolumus in jure disputare, adhuc esset difficultas in assignanda hujusmodi necessitate, quam Doctores ipsi ex adverso allegati deducunt ex facto Electorum, ex quò nempè illorum dissentiones, & scandala justam præbuissent Superiori causam, ut ad odium, & rixas compescendas uteretur tali restrictione in commodum publicæ tranquillitatis, quæ sanè necessitas non fuit, aut esse potuit in nostro casu in favorem P. Rios adversarii, à quo fuerat prætensa, ut satis constat. Licèt enim urgente tali necessitate publica potuisset esse licita, vel in jure tolerabilis talis restrictiva (quam laudati Rmi PP. Generales in exemplis proximè adducendis non agnoverunt licitam ipsis fuisse absque facultate Apostolica) vel in favorem Superiorum prò refrenandis Subditis, vel alicujus Viri probi, & indifferentis ad confirmandam pacem,

aut reformationem promoventium pro augenda observantia, non tam non assignabitur casus, in quo liceat similem restrictivam facere *in quibus libuerit*, vel in favorem unius ex capitibus factionum, ut in nostro casu factum fuit, quod certè non est dissentiones sedare, sed vires unius factionis augere; Sicque restrictiva, quæ in certis personis sub quavis cautela, de per se est intolerabilis in jure, redoletque affectionem privatæ personæ, non verò boni communis, in nostro casu *consideratis considerandis* magis peccatum fuit.

11 Corruit item tertia: Nam si ante electionem ipsam decem, & novem Vocales protestati fuerant contra imminentem, sub jam prævisis nullitatibus, electionem ob gravem metum injustè illatum (de quo infra) eamdemque protestationem post secutam electionem repetierunt, nulla penitùs allegari potest concors Vocalium acceptatio, cum imo talis protestatio præseferat dissensum, & contrarietatem Protestantium, ut notant *Bartol. in cap. non solum §. morte num.16.ff.de nov.oper.nunc.Mascard de probat. conclus.1054.num.11.lib.2.Sperell.decis.75.num.52.& seqq.Rota decis.863.nu.5.coram Serafin.dec.72.num.13.cor.Cels.& dec.163. nu.30.cor.Cerro*; de quo infrà multa afferemus.

12 Et tandem ruit quarta, cum exempla adducta in *Summar. manuscript.Partis adversæ*, & quotquot afferri possint, nihil probent pro se in favorem controversæ restrictivæ; primò enim similis consuetudo restringendi nominationem ad certas personas non est in nostra Religione, sed nominandi certum genus, nempè omnes Magistros, contra quam nullum affertur exemplum, nec afferri posse credimus, in quo P. Generalis propria auctoritate nominaverit certas personas pro libito, extra quas cadere non posset electio; ut in præsenti actum est. Omnia enim exempla, quę allegantur sunt de nominationibus factis in certo genere personarum, scilicet omnium Magistrorum, tam de numero, quam extra numerum, cui favet consuetudo, & pro quo saltem probabilitèr, non requiritur confirmatio Apostolica, nam ut ait *Matheucc. de Offic. Curiæ num.2.cap.18. Est commune apud Fagn. in cap.cum dilect.de consuet. num.36. non tolli libertatem electionis ex eo quod restringatur electio ad certum genus personarum, ut ad Magistros, Lectores &c. vel ad certam nationem, & valere electionem dicit Donat.prax.tom.1.tract.1.quæst.10. sicut valet illa Pontificis, qui de Collegio Cardinalium assumitur, & patet ex practica multarum Religionum, in quibus sunt alternativæ substitutæ, ut electio Superioris semel fiat de una, & semel de alia natione; sed hæc non procedit, dum arctatio particulares personas respicit*; & similitèr P. Lezana *quæst.mor.tom.2.tit.de elect. regul.cap.5.nu.22.* licèt multi oppositum sentiant, ut videre est apud laudatum *Fagnan.*

*gnan.in dict.cap.cum dilectus de elect. à nu.*1. ubi fusè contrarium sentientes adducit.

13 Quamobrẽ Rm̃i PP.Generales, qui electionem restrixerunt ad Magistros tantum de numero, qui sunt viginti quinque, cum ut plurimùm Magistri omnes ascendant ad num. 60. circiter, curarunt habilitari prævia speciali ad hoc Apostolica auctoritate, ut habemus in nominatione facta per Rm̃um P. Generalem Monsignanum in nostra Provincia, quæ fuit, *facto super hoc verbo cum SSm̃o*, ut in *Summar. num.* 4. ubi est observatione dignum, quod cum dubitari non possit hanc fuisse restrictivam (aliter non egeret facultate SSm̃i) tamen non expressit, quod extrà Magistros de numero eligere Gremiales non possent, quem vellent, benè agnoscens ex usu Religionis superfluam hanc animadversionem esse, cum omnes scirent hac eadem forma, semper, Generales usos fuisse in suis restrictivis factis ad omnes Magistros tam de numero, quam extra numerum, & quod non poterant alium Vocales nominare, qui ex illo genere non esset.

14 Et in alia nominatione facta pro Provincia Aragoniæ per Rm̃um P. Generalem Theodorum Stratium, qui electionem arctavit etiam ad Magistros de numero reperimus, quod specialem petiit facultatem à fęlicis record. Vrbano VIII. ut constat ex ejus brevi, quod in Bullario Ordinis *tom.* 2. extat *fol.* 459. & similitèr *fol.* 457. alio simili Brevi ipsi concessa fuit facultas similem restrictivam faciendi in Provincia Belgica, quæ omnia evidentèr demonstrant, quod PP. Generales non solùm semper agnoverunt, non posse uti illa restrictiva ad certas personas, ut per constitutiones illis concedebatur, deficiente approbatione Apostolica in forma specifica (quam optimè ipsis concessam esse in constitutionibus agnoverunt; idque circa hoc jus sibi reservarunt, ne illum perderent, si constitutiones in forma specifica aliquando confirmarentur) verùm imò nec ad coarctandas similes propositiones ad magis strictum genus personarum; scilicèt ad Magistros precisè de numero; non concurrente approbatione Apostolica in forma specifica, etiam ab illis ad hoc expresè impetrata; uti nulla esset electio Summi Pontificis, si hæc ad solos Eminentissimos Cardinales Episcopos restringeretur, vel ad solos Presbyteros, vel Diaconos; cum hoc esset supra restrictionem ad certum præelectum genus personarum; aliam addere restrictionem ad genus specificum in illo superiori genere contentum, in quo maxime libertas Vocalium arctaretur.

15 Nec si talis consuetudo in facto subsisteret, relevaret in jure, deficiente, ut diximus, confirmatione Apostolica in forma specifica, quia talis consuetudo etiamsi immemorabilis in totum abrogata reperitur ex ejusdem Iuris Canonici dispositione in *prædict. cap. Cum terra de elect.* ibi = *PRAVÆ CONSVETVDINIS MOR-*

BVS IRREPSIT = Et rursùs = *PRÆSCRIPTAM CONSVETVDINIS PRAVITATEM SANCIMVS PENITVS ABOLENDAM*; ubi *Fagnanus nu.* 1., *&* 2. *& per tot.*, *& signanter nu.* 7. plene fundat cum multis sublatam fuisse consuetudinem, etiam immemorabilem ibi = *Cum textus non simpliciter deroget consuetudini, sed eam improbet, uti correptam, ut patet ibi: pravæ Consuetudinis morbus irrepserit, nec non ibi = præscriptam consuetudinis pravitatem sancimus penitùs abolendam, hinc sequitur, ut talis consuetudo sit nulla, & inpræscriptibilis, etiamsi sit tanti temporis, ut ejus initii non extet memmoria.*

16 Absoluto examine primæ huius indubitabilis nullitatis controuersæ electionis, ad alias æquè etiam certas descendimus, exclusionis nimirùm Vocalium, & respectiue augmenti, prout certè constat ex actis Capituli. Incipiendo igitur ab exclusione, primo loco statim se offert exclusio P. Mag. Ioannis de Texada Vicarij Rectoris Collegij Diui Alberti Hispalensis, qui à Reuerendissimo Præside exclusus fuit à suffragio in Capitulo ferendo, ex capite quod excommunicatus fuisset, vt in actis eiusdem Capituli asseritur, sed qua facultate, & qua forma (aliàs de jure seruanda) excommunicatus, & exclusus, & expoliatus fuerit à jure suo, suffragioque in electione ferendo, opus est demonstrare, vt satis, superque constet de injuria ipsi illata, nullitateque electionis, quæ venit irritanda ex hoc præcisè capite exclusionis huius Vocalis.

17 Vt ergò hæc demonstremus, operæ pretium existimamus exponere ea, quæ circà prædictum P. Texada acciderunt ex ijs solummodò, quæ constant, & deducuntur ex testimonio dato per assertum Iudicem Apostolicum, Vicarium Generalem Archiepiscopatus Hispalen. omittendo ea omnia, quæ circà hoc factum ex alijs testimonijs habemus, vt ita ex ipso testimonio præcisè ab Aduersarijs in sui fauorem exposito, nedùm istam, verùm & omnes alias nullitates incontrouertibiliter deducamus, & illam præcipuè omnium maximam, qualis est metus iniustè Vocalibus incussus, quo ad electionem processerunt, vti omnia; quæ à Nobis desiderantur, spontè ex prædicto partis aduersæ testimonio fluunt.

18 Mortuo P. Magistro Ioanne Delgado Rectore Collegij Diui Alberti Hispalen. *sub die* 22. *Ianuarij* 1725. tribus scilicèt mensibus ante celebrationem Capituli, de quo agimus, R. P. Prouincialis Gonzalez, qui eo tempore intentus visitationi Prouinciæ degebat in Conuentu Castri Iulij Diæces. Corduben. suas litteras patentes expediuit *sub die* 30. *eiusdem mensis*, quibus in Vicarium Rectorem supradicti Collegij instituebat Pater Texada juxtà incontrouertibilem facultatem ordinariam sibi concessam per *Constitutiones Generales Ordinis par.* 4. *cap.* 20. *num.* 6. ibi = *Quod si*

si post vltimam Congregationem in aliquo Conuentu ante Capitulum Prouinciale, vel propter obitum, vel propter aliam causam Prioratus aliquis vacauerit, Prouincialis illi prouidebit de Vicario duraturo vsque ad Capitulum Prouinciale, in quo talis Vicarius vocem, & locum habebit, sicut Priores = vti fuit ad litteram casus præsens, in quo vsque ad Capitulum nulla erat habenda Congregatio, cui consonat vniformis, indubia, & numquam, interrupta practica illius Prouinciæ, & vniuersæ Religionis.

19 Virtute igitur harum incontrouertibilium legis, & consuetudinis Religionis, facultatisque per ipsas competentis Prouinciali, mortuo prædicto Rectore sub citato mense Ianuarij, post cuius obitum haberi non debebat aliqua Congregatio, cum Capitulum Prouinciale esset infrà tres menses celebrandum, prædictus P. Prouincialis Gonzalez instituit, vt diximus, prędictum Vicarium Rectorem, præsentatisque, & lectis litteris suæ institutionis admissus fuit ab omni ferè Communitate dicti Collegij, quæ ascendit ad numerum quadraginta Religiosorum, contradicentibus inopinatè vndecim Partialibus R. P. Rios, qui prætextu quorumdam decretorum, quæ olim pro Prouincijs Hispaniæ edita fuerant à Reuerendissimo P. Generali Ioanne Stephano Chizzola in decursu suæ generalis visitationis *sub anno* 1595. (de quibus infrà) volentibusque insubsistentibus legibus, abrogatis, & correctis, & vt tales in Prouincia habitis, turbare pacem, fœdareque Prouinciæ, & sui Superioris honorem, temerè contradixerunt prædictæ acceptationi, & suo legitimo Superiori debitam obedientiam tumultuariè denegarunt, recursu indebitè facto super hoc puncto coram eodem asserto Iudice Vicario Hispalensi sub prætextu, quod in ipso resideret subdelegata à Reuerendissimo Archiepiscopo quædam facultas ipsi ab Illustrissimo Nuncio ad alium valde diuersum finem concessa, contemnentibus friuolis excusationibus quæsitis, iuratam sui status obedientiam, pænasque impositas per Constitutiones Ordinis similibus inobedientibus, quibus certè ipso facto incursi reperiuntur.

20 Nam eædem Constitutiones *par.3. cap.2. num.3.* disponunt, ibi = *Item statuimus: quod omnes, qui contrà suos Superiores se erexerint eorum officium vsurpando, vel quouis modo impediendo per se, vel per alios, nè suum officium effectiuè exercere valeant, LOCO, ET VOCE CAREANT, ET IN CARCERES DETRVDANTVR in eis permansuri ad arbitrium Reuerendissimi Patris. Et si eo dementiæ, & temeritatis deuenerint aliqui ex nostris Religiosis, vt Ecclesiæ Prælatos, aut Principes, & Fautores excitare non formidauerint, quo per illos Ordinis Superiores molestentur, grauentur, aut damnificentur in personis, vel à suis Officijs amoueantur, PRÆTER EXCOMMVNICATIONIS MAIORIS SENTENTIAM, QVAM IPSO FACTO INCVRRENT,*

si

si talia contrà Priorem suum, siuè Localem, siuè Prouincialem, aut contrà eius Vicarium perpetrare præsumpserint, IN PERPETVVM LOCO, ET VOCE PRIVATI EXISTANT.

21 Facto prædicto, contrà leges, & pacem, obedientiamque recursu per supradictos Refractarios ad Vicarium Hispalen. ex asserto motiuo, quod dictus Vicarius Rector non fuisset à Prouinciali institutus juxtà dispositionem prædictorum decretorum Reuerendissimi P. Generalis Chizzola, petierunt, vt decerneret, nè P. Texada suo officio Vicarij fungeretur, sed deponeret continuò litteras suæ institutionis; & dictus Vicarius Generalis Hispalen. confestim sine vlla citatione hoc ipsum, quod Refractarij petierunt, exequi decreuit, vt ex sua etiam relatione *Summ, num.5. litt. B,* ibi = *E si domandò con istanza da detti PP. Maestri, che si raccogliesse la detta patente, per non essere stata spedita secondo la legge municipale di detta Prouincia, e spedissimo il nostro mandato, contra il detto molto Reu. Fra Giouanni Diez de Texada, perche originalmente la mettesse negli atti, e che non eseguisse il carico di tal impiego, nè che facesse da Vicario Rettore, sino a tanto, che altra cosa non si fosse ordinata da Noi.* Et omisit pænas referre excommunicationis latæ sententiæ, sub quibus hoc mandatum edidit, & omisit quoque recursum Vicarij Rectoris continuò facti, denegando illi vllam jurisdictionem ad cognoscendum de hac causa, & multò minùs, vt ità procederet ipsum deponendo, & expoliando officio suo ipso inaudito, & præsentando etiam (sub protestatione, quòd non per hoc consentire dici deberet in eius jurisdictionem) Constitutiones Ordinis suprà relatas, quarum virtute ille, omnesque Prouinciales ex ordinaria sua facultate instituebant in omni Religione similes Vicarios, eaque omnia, quæ in aperto ponebant insubsistentiam, & abrogationem indubiam prædictorum decretorum infrà demonstrandam, quibus etiam non ignari Aduersarij de tali insubsistentia mala fide vti volebant, Tandem omisit, quod cum stante hoc recursu pro parte dicti Vicarij Rectoris, debuisset suspendere, vel reuocare decretum, vt non remaneret expoliatus, nulla præcedente legitima justificatione, solummodò prouidit, quod Aduersarijs communicaretur allegatum, relinquendo Superiorem sine munere, Collegium sine Superiore, & in sua rebellione Rebelles.

22 Loco hæc omnia exprimendi, sequentia, quæ post mensem, & vltrà acciderunt verbis hisce subjunxit = *Alli 23. de Marzo di questo anno per parte del detto molto Reuerendo P. Fr. Gio: Diez de Texada si presentò auanti di noi vna istanza, che desisteua dalla detta lite, e dal detto Vicariato, la quale istanza ordinassimo fosse messa negli atti = dicto Summario num, 5. litter, C.*: Pro cuius casus intelligentia operæ pretium est scire, quod cum Reu. Prouincialis vidisset suum Vicarium Rectorem ab officio indebitè, & violenter

tèr suspensum, ad eum finem, vt continuò intellexit, impetrandi illo medio tempore à Sancta Sede nominationem Rectoris, qui posset pro P. Rios in proximo Capitulo suffragari, & repellere dictum P. Texada, vt literis rotundis constat ex epistola eiusdem P. Rios videnda *Summario num.* 6. : Cumque, instante infra mensem celebratione Capituli, videret P. Vicarius Prouincialis non esse locum interponendi appellationem, accessit ad Ciuitatem Hispalen., vt prouideret de remedio, cum functus esset facultate extraordinaria Generalitia sibi specialitèr delegata, sub die 7. Martij 1724., & in vniuersa Prouincia publicata, & acceptata decem antea mensibus, in qua sub occasione dispensandi Congregationem de lege faciendam, confirmauerat Vicarios ante ipsam factos, qui & in illa alias erant confirmandi, & concedebat vlteriùs auctoritatem ad instituendos alios, vbi occurreret necessitas in omni tempore vsque ad Capitulum inclusiue *Summario num.* 7. ; quod in vim Constitutionum P. Generalem facere posse ab Aduersarijs fatetur in nouis documentis ab ipsis coràm Emo Ponente productis.

23 Cùm igitùr functus Prouincialis hac facultate inueniretur, non aliud remedium opportunius, & breuius ad vitandam illam violentiam adinuenit, quam vt P. Texada suæ primæ nominationi, quæ ordinaria facultate illi concessa fuerat, abrenunciaret, vti fecit, & coràm dicto asserto Iudice Apostolico præsentauit, vt ex supracitatis verbis relationis constat, quo præterita iniustissima lis finita necessario manebat; vt sic auctoritate Generalitia, quam nulla cauillatione subterfugere poterant, illum iterùm in Vicarium institueret: Itaque prædicta auctoritate sibi concessa in Vicarium dicti Collegij eumdem P. elegit die 26. Martij: Cum itaque literas suæ institutionis Communitati præsentasset, iterùm admissus fuit, & in possessione positus, sex tantum ex Fratribus reluctantibus obedire, adhùc Hispali præsente eodem Prouinciali, quo actum est, vt procederet iuxta supra laudatam Constitutionem §. 18. ad eorum carcerationem ob reiteratam rebellionem, & inobedientiam in suis Cellis; Et statim eodem die comparuerunt coràm Vicario Generali Hispalen. exponendo, quod dictus P. Texada post renunciationem sui Vicariatus aliam nouam similem obtinuerat nominationem in Rectorem, quam coràm Collegio præsentauerat, & in cuius vim ad possessionem fuerat admissus, & quod ob contradictionem ab ipsis factam inueniebantur carcerati, petentes, vt de remedio prouideret, factoque hoc recursu Vicarius Generalis partibus non citatis, nec auditis decreuit, quod sequitur = *E da noi vista, ed vdita l'istanza ordinassimo notificarsi, e che se gli dasse la notificazione à detto Reuerendo P. Vicario Prouinciale, e Vicario Rettore, che facessero leuare dalle Carceri detti RR. PP. Maestri, ed*

al-

altri Religiosi, e che presentassero la patente originale del Vicar. Rettore, che gli era stata spedita, il tutto sotto le pene delle Censure precise in termino da due hore, e con l'ammonitione, che se implorarebbe il reale aiuto, e si passarebbe al detto Collegio, e s'aprirebbero le porte delle Celle, e si sprigionarebbero li detti Religiosi, e si procederebbe à quel di più, che di giustizia hauesse luogo = Summario num. 5. lit. D.

24 Hoc decretum notificatum fuit Reu. Vicario Prouinciali, non tamen P. Texada Vicario Rectori, vt constat, ibi = *Il qual dispaccio fù notificato in persona dall'infrascritto Notaro à detto Reu. P. M. Vicario Prouinciale a' 27. del detto mese, come alle otto, e mezza della mattina, fu eseguito, per non esser comparso il detto R. P. Vicario Rettore si fecero diuerse diligenze, e per non hauere conplito secondo il tenore del detto dispaccio furono dichiarati li detti R. P. Vicario Prouinciale, Vicario Rettore, e Frà Damiano de Molina Vice-Rettore del detto Collegio, incorsi nelle Censure, e dichiarati per publici scommunicati, e messi, e registrati per tali, e come tali nelle tabelle di diuerse Chiese di questa Città li detti Vicarij Prouinciale, e Vicario Rettore = Summ. num. 5. lit. E.*: Quibus non contentus armata manu dictus Vicarius Generalis sequenti die processit cum omnibus Ministris suæ audientiæ, & sex militibus (vt ipse ait), quia nolumus recedere à relatione ipsius, quamuis de cætero esset numerus sexaginta armatorum intèr Milites, & Ministros, qui excarcerationi adstiterunt ob ingentem numerum Ministrorum, ex quibus familia armata illius magnæ Audientiæ componitur.

25 Illis sic excarceratis *per violentam portarum conuulsionem, vt non negatur ab Aduersarijs*, processit ad eorum examen, vt causam suæ carcerationis exprimerent, in quo apertè suam inobedientiam, & illius motiuum declararunt *Summario num. 5. lit. F.* quibus omnibus à Reuerendo Vicario Prouinciali perspectis, & perpensis, cum in vesperis Capituli se vidisset excommunicatum, & per publicos cedulones declaratum, & à suis inobedientibus Subditis parui perpensum, nullam aliam viam inueniendo tot violentias vitandi, prudenti certè consilio coràm asserto Iudice comparuit, illi præsentauit titulum nominationis, & institutionis P. Texada, & absolutionem petijt Censuræ, quæ ipsi relaxata fuerat, vt etiam ex testimonio relato constat: Hucusque relatio istius facti sequendo vnicè, & præcisè testimonium Vicarij Generalis Hispalensis, qui quantum potuit illud in fauorem sui ipsius contextuit, relictisque omnibus alijs testimonijs, ex quibus innumera alia facta maximè aggrauantia resultarent, si illis vteremur.

26 Vt autem clariùs ex hoc facto deducantur nullitates, quæ supra primam iam demonstratam, promanarunt in nostra controuersia, ele-

electione, opus est tria animaduertere, alterum circa decreta, de quorum inobseruantia conquerebantur inobedientes, alterum circa facultatem assertam Vicarij Generalis Hispalen, alterum denique circa protestationes à Vocalibus factas in Capitulo.

27 Circa primum, decreta citata exaduerso 13., & 14. ædita fuerunt à Reuerendissimo P. Generali Chizzola pro Prouincijs Hispaniæ in decursu suæ visitationis anno 1595. in quibus præcepit, quod cum iuxtà Constitutiones tunc in Ordine vigentes, Congregationes intermediæ minimè celebrandæ fuissent, electiones, quæ inter vnum, & alterum Capitulum faciendæ essent, fierent à Prouinciali consulto suo Socio, & duobus saltem Definitoribus, *Summario Num.8.*, sed callidè reticuerunt Aduersarij prætextu huius decreti contra Superiores conspirantes, primò: quod prædicta decreta non sunt perpetua, nequè vti leges in Prouincia habentur, quod durarunt quandiù durauit gubernium prædicti Generalis, & quod Generales Ordinum se solis de Iure communi leges condere non possunt, nisi cùm Capitulo proportionato, siuè Generali, siuè Prouinciali, vt cum D. Thoma, & P.Suarez benè supponit Lezana *tom.1. q.Regul.tit.de Prælat.Priuilegijs cap.18.n.90.*

28 Et quod hoc ita sit, negari ab Aduersarijs non potest, stante quodam manifesto ab ipsis typis mandato nomine Conuentus Hispalensis, promulgato *Anno* 1714. occasione satisfaciendi cuidam Memoriali porrecto tunc Vicario Generali Hispalen. in quo contra dictum Conuentum exponebatur imposuisse super ipsius bonis certum censum, quod iuxta citatas leges P. Chizzola pro Prouincijs Hispaniæ prohibitum erat, contra quod doctum illud manifestum elaboratum fuit, & in illo paulo post initium, hæc quæ habentur ibi Hispanico sermone, hic latino idiomate (vt ostensum est Eminentissimo Ponenti) afferuntur= *Vt respondeamus supponendum est hæc decreta Reuerendissimi Chizzola nos non obligare primò, quia non sunt perpetua, cum nullus Generalis habeat facultatem condendi leges perpetuas.* Et prosequitur cùm Lezana exponendo id quod requiritur, vt decreta Generalium Nostri Ordinis vim habeant legis. Et ex alijs multis Capitibus ad euidentiam demonstratur in dicto Manifesto decreta præfata cessare cùm morte Reuerendissimi Chizzola, & quod ita in praxi intellectum est, & semper fuit in illa, reliquisque Prouincijs Hispaniæ, & concluditur, quod in vno ex Capitulis illius Prouinciæ sub anno 1639. ità fuit declaratum, tradendo etiam ad literam huiusmodi declarationem, *vt in Summario num. 9.*; Cui manifesto subscripserunt primi Magistri omnium ferè Religionum, & Conuentuum prædictæ Ciuitatis Hispalen. sentientes vniformiter dicta Decreta cessasse.

29 Et reticuerunt etiam exponere, quod quamuis fuissent leges vltra vitam illius Generalis valituræ, hodie nil probarent, cùm derogatæ iam fuissent per posteriorem laudatam Constitutionem superiùs transcriptam §. 18. in qua aliter dispositum fuit, vt ex eius tenore colligitur. Pro cuius demonstratione obseruandum venit, quod ex allegato Decreto 13. constat, quod tunc temporis juxta Constitutiones Ordinis, Capitula intermedia non habebantur, & ex eo Reuerendissimus Generalis, vt in dicto Decreto exprimit, motus fuit ad illam prouidentiam decernendam sub *Anno* 1595.; Anno tamen 1625. inter alias Constitutiones *part*.4. *cap*.20.*num*.2. statutum fuit quod Congregationes intermediæ haberentur, & in eodem Capite *num*.6. stabilitum est, vt supra vidimus dicto §. 18., quod si post vltimam Congregationem per mortem, vel aliam causam vacaverit aliquis Prioratus, Prouincialis de Vicario provideat, qui duret vsque ad Capitulum Prouinciale, quique votum habeat in illo. His ergo sic stantibus, & insupèr disponentibus ijsdem Constitutionibus Cap.vltimo part.4. quod *omnes Constitutiones, Statuta, & decreta, quæ aliud disponant, ab eo quod in illis statutum mansit, reuocatæ habeantur*. quid dicta decreta prodessent, etiam si vim legis haberent? Cùm ergo hæc omnia, quæ satis nota in Prouincia; & Religione sunt, reticuissent illi PP. recurrentes ad assertum Iudicem, sufficientèr constat qua mala fide recursum fecerunt, & qua iniustitia, ac violentia assertus Iudex processerit.

30 Quo attinet ad secundum, facultatis scilicèt asserti Iudicis ad procedendum in hoc casu, præcamur Eminentissimos PP. obseruare modum, quo in præcitato suo testimonio exprimit facultatem, qua processit. Postquam enim retulit commissionem per Reverendissimum Nuncium Apostolicum datam Reuerendissimo Archiepiscopo subiungit: *e per altro dispaccio de detto Illustrissimo Signore Nuncio si ordinò osseruare il numero* 13. *&* 14. *della legge municipale di detta Prouincia, la quale dispone, che se vacasse alcun Priorato, ò Prelatura di qualche Conuento in quelli di questa Prouincia Betica, il Vicario Prouinciale non potesse nominar altro senza essersi prima consultato con il Maestro Socio Compagno, e il Reuerendo Difinitorio, ò almeno due Difinitori. Summario Num* 5. *litt.F.* Quin exprimat diem, mensem, aut annum in quo hæc commissio expedita fuerit, quod non omisit in relatione alterius commissionis (ad alium tamen finem) à Reuerendissimo Nuncio emanatæ, nequè exprimit ad quem directa fuerit hæc Commissio pro eius executione. Si enim hanc facultatem claram, & indubitatam habebat, quare numquam communicauit? nec notam illam fecit? nec verbum de illa vm-

quam

quam factum fuit, quando præsertìm de eius defectu præcisè excepit P. Texada? & quare vsus ea non est impediendo, ne suffragarentur electioni, Vicarij Priores Conuentus Granatensis, & Xibraleonis, qui similitèr à Reuerendo Domino Vicario Prouinciali sine consultatione Definitorum fuerant nominati ob mortem vtriusque Prioris? Si hæ nominationes non differunt ab ea Collegij Sancti Alberti, cur cùm isto, & non cùm alijs Vicarijs vsus fuit sua asserta facultate? nec etiam in alijs quatuor nominationibus, & institutionibus, quas similitèr fecit de quatuor Vicarijs ob renuntiationes Priorum, in quibus nec formam illorum Decretorum seruauit?

31 Sed supponamus, quod facultas, quam habuisse asserit, assertus Iudex fuisset pro isto casu indubitabilis, eratne hæc facultas, vt procedere posset contra iuris ordinem, Vicario Rectore Collegij non audito, nec citato, illum expoliando iure suo, & munere obtento, & etiam illum declarando incursum in censuras, & cedulones ponendo, absque vlla citatione? hæ enim facultates semper sunt ad procedendum iuris ordine seruato, & non aliter intelliguntur. *Cap.* ex parte, *il secondo de Re judicata*, *Cap.* sepè contingit *de verbor significatio*, Lezana *oper. mor. tom.* 1. *cap.* 15. *de obligat. regul. in elect. n.* 34. Passerin. *de elect. cap.* 2. *n.* 4. Roder. *qq. Reg.* 52. *art.* 2.

32 Quo attinet ad tertium, protestationum nimirùm, & appellationum Vocalium, satìs constat legitimè factas fuisse ante, & post electionem coram Notario publico Apostolico seruata forma *Cap.* vt circa 4. *de elect. in* 6., *&* *eius Gloss. verb. Instrumento publico* = ibi = *Publico facto per manum Tabellionis*, quod indubie sufficit juxta præfatum Textum, nam vt ait *Irantius* de protest. *consider.* 2. *num.* 1. *Protestatio citra clamorem*, *& in occulto*, *quandoque fieri posse*. Ripa *in dicto cap. num.* 68., *vel coram Testibus*, *vel Scriptura mediante*. Imò melius proceditur eam sic in scripturis faciendo, vt ait citatus Auctor in hac materia Magistralis considerat. 6. num. 9. = ibi = *Quamuis melius*, *&* *consultius sit*, *vt de protestatione publicum fiat instrumentum*, *vt de illa plena habeatur fides*. Quæ protestationes, & appellationes factæ fuerunt ad Sacram Congregationem, nedum per Reuerendum Patrem Vicarium Prouincialem, verùm etiam per Patrem Vicarium Rectorem Sancti Alberti, & Patrem Vicarium Conventus Vrsaonen. qui rejecti fuerant à suffragando, & per multos alios Gremiales Capituli ascendentes ad numerum 19. *Summario Num.* 10. Nequè verò huiusmodi protestationem, necessario tenebantur communicare, vt ait Barbosa *vot.* 107. *num.* 28. ibi = *Nec requirebatur*, *vt ille, contra quem facta fuit Protestatio*

 illius

illius scientiam haberet, quia quando in protestatione inest metus propter scientiam Aduersarij, non est necessè, quod fiat notificatio. Et idem tradit Irant. *consid*.47. *num*. 1. & 3. Menoch. *cons.* 308. *num*.5. Soccin.*Consil*.203. *num*.8. *lib*.2. Bald. *Consil*. 165. *num*.6. Olea *de Cess. Iur. tit*.8, *quæst*.1.*num*.14. cùm alijs multis quos affert.

33 Transeundo nunc ad ea omnia, quæ ex prædictis suaptè natura deducuntur, & ex quibus nullitas electionis tribus alijs Capitulis apertè constat; primum in ordine se offert iniustissima *reiectio Vicarij Rectoris Sancti Alberti* à suffragio ferendo in controuerso Capitulo, ex quo fuisset excommunicatus, quia sicut nullitèr, & iniustè fuit semotus à munere suo, & expoliatus, ita nulliter, & iniustè excommunicatus, & à suffragando reiectus; tum quia Iudex assertus contra illum processit sine sufficienti iurisdictione, vt minimumque, quin de illa doceat, vt tenebatur facere, tum etiam, quia contra omne ius naturale, diuinum, & positiuum processit, illo non audito, nec citato; tum insuper quia ad omnia processit sine Causæ cognitione, & adeò præcipitantèr, *vt intra terminum duarum horarum* fuerit declaratus, & cedulones affixi; tum deniquè quia exclusio à suffragando fuit modo indebito, non seruato iuris ordine, nec decreto Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicę confirmato à Clemente Octauo fœlicis record. *anno* 1601., & illius obseruantia ab ipso præcepta, quod tradit Matheuc. *de Official. Cur. cap*.18. *num*.50. ibi = *Priuatio vocis actiuæ, & passiuæ, & inhabilitatis decreta, sententiæque ab ijsdem Superioribus Ordinis latæ, ne deinceps in ipso electionis actu pronuncientur, promulgenturuè, atquè ea promulgata, Vocales minimè afficiant, nisi per mensem ante fuerint intimatæ, proùt Sanctitas Sua omninò vetuit*. Et subiungit = *illudq; fundatur in iure communi, secundum quod omnes mutationes, & sententiæ prolatæ in limine Capituli præsumuntur factæ ad fraudandam futuram electionem*, vt advertit Castellin. *de election. cap*.13.*num*.14.

34 Et ita accidit in ista reiectione, in qua, nec tempus obseruatum fuit, cum die præcedenti electioni fuisset intimatus, vt illi non assisteret, nec ordo à Sacris Canonibus præscriptus *Cap. ex parte de re iudicata*. Cap. *sæpe contingit de verbor. significat*. Cum deberet doceri, & ei dari copia illius, quod contra illum fulminatum erat, & audiri eius defensio ex Text. *in Clement. Pastoralis* §.*Cæterum de re iudicat*. Roderic. *q. reg*.52. *art*. 22. *per tot. tom*. 2., Passerin. *de elect. cap*.2. §.*Quæritur num*.4., & *num*.71.*cum seq*., Laurent. de Peirin. *de subdit. reliqu. quæst. prima* §.10. *in princip. fol*.461. = ibi= *Dico primo: Præsidens Capituli cum ampla potestate etiam à Papa non potest priuare Religiosos voce actiua, &*

passi-

passiua, sine eo quod prius citentur, ipsisque detur copia eorum, quæ contra ipsos fulminata sunt, vt possint se defendere.

35 Et ex Ordine, de quo agimus Lezana *oper. moral. tomo primo cap.* 15. *de obligation. regul. in elect. num.* 34. = ibi = *Præsidentes electionibus Regularium debent iuxta instituta suarum Religionum procedere, non possunt autem priuare Religiosos Capitulares voce actiua, vel passiua, sine eo quod prius citentur, ipsisque detur copia eorum, quæ contra ipsos sunt fulminata, vt possint se defendere, quia nemo potest condemnari inauditus, & defensiones sunt de iure naturali, quod adeò verum est, vt etiam si dicatur in commissionibus Præsidentium, vt possint priuare Religiosos Capitulares voce actiua, & passiua, non possunt id facere, nisi modo prædicto, quia tales commissiones semper debent intelligi seruato iuris ordine.* Et eodem modo loquitur P. Antonius à Spiritu Sancto Carmelita Excalceatus *in director. Regular. tractat.* 4. *disput.* 3. *sess.* 12. §. 1. *à numer.* 328. & passim Doctores.

36 Id ipsum accidit in reiectione *P. Ferdinandi Muñoz* Vicarij Conuentus Vrsaonen. legitimè de cętero instituti ex necessitate Conuentus, alias iustificata, & ex præcitata facultate generalitia, cui nulla præmissa citatione, nec notificatione causę, nec processus, nec dato tēpore, vt posset se defendere, in vigilia Capituli missus illi fuit, nomine Reuerendissimi Præsidentis, Nuncius, nè aulam Capitularem ingrederetur, quia voce actiua, & passiua carebat, eo quod infra octo menses ante Capitulum fuerat institutus; cum tamen Constitutio non loquatur, nec loqui posset de renuntiatione necessaria, vti fuit ista, ex quorum exclusione sic facta, & si tot iniustitiæ, & nullitates non adfuissent, electio abs dubio venit declaranda penitus nulla, præsertim quando id ab Exclusis petitur, proùt expresè, in Cap. *Bonæ memor. il secundo* §. *Electionem*, & Cap. *Quod sicut de Electione*, Matheuc. *vbi proximè sub num.* 49. = ibi = *Vbi aliqui Vocales à Præside iuris ordine non seruato voce priuantur, electio à Iudice est irritanda, si id ab Exclusis petatur.* Eman. Rodrig. *quæst. Regul. tom.* 2. *quæst.* 52. *art.* 12. ibi = *Non sunt admissi, qui erant admittendi, vnde isti, si suam vellint prosequi iniuriam, debet Iudex electionem nullam declarare*, Peirin. *de subd. Relig. quæst. prima* §. 10. *vers.* 3. *dico* ibi = *Si priuentur aliqui Vocales à dicto Præside non seruato iuris ordine, electio à Iudice debet irritari* = Et paritèr Barbosa *Vot.* 47. *num.* 187. *lib.* 2. Sigismund. *de election. dub.* 91. *num.* 10. Et communitèr omnes. Cum enim vnus, & alter reiectus, in vim suarum appellationum, & protestationum, de quibus §. 30. suam iniuriam prosequentes petant hanc declarationem nullitatis electionis, indè ex eorum exclusione, tamquam ex nouo secundo Capite nullitatis, Electio venit irritanda.

37 Se-

37 Secundum caput nullitatis (aliàs tertium) quod deducitur ex supra allata relatione est admissio ad suffragia ferenda quatuor Religiosorum ex illis sex, qui excarcerati fuerunt; nam ommittendo defectum facultatis, qua assertus Iudex ad illorum excarcerationem processit, & iniustitiam ipsius excarcerationis, absq; præuio examine causæ, propter quam fuerant carcerati, & modum strepitosum, quo ad dictam excarcerationem præcipitantèr processit, de quo supra in relatione, sufficit, ad nullitatem, quod excommunicati, & voce actiua, & passiua priuati, iuxta Constitutiones Ordinis supra adductas, inueniebantur, & Superior contra illos procedebat, quia semel, & iterum inobediuerant palam literis Vicarij Prouincialis in virtute sanctæ Obedientiæ, iuxta formam Ordinis expeditis in fauorem P. Texada, & ipsum quoquè P. in Vicarium Rectorem, iuxta leges institutum, & à Communitate acceptatum, & in possessionem missum in Superiorem recognoscere detrectauerant.

38 Cumque de hac causa carcerationis dubitare non posset præfatus Iudex, stante quod subijciendo illos suo examini declararunt prædictam carcerationem fuisse = *Per non hauere obbedito la detta Patente di Vicario Rettore spedita* = addentes dictam obedientiam non fuisse ab eis præstitam, quia in nominatione Vicarij, non obseruauerat decreta illa Reuerendissimi Chizzola, *d. Summario num. 5. litt. F.*, absque debito de his omnibus examine, præcedenteq; declaratione, quod neque excommunicati, neque priuati voce actiua, & passiua fuissent, non debebant ad suffragium admitti: quandoquidem eorum admissio, hac declaratione non præcedente partibus auditis, nec auferre poterat incursionem Censurarum, nec illis vocem actiuam, & passiuam restituere; (& *tamen vnus ex illis*, inter illos sex, *nominatus fuit pro munere Prouincialis scilicèt P. Leon*) & cum iam hic ex dictis constet planè iniustissimum fuisse assertum motiuum inobedientię prædictorum Religiosorum, certamque iuxta suas leges priuationem vocis actiuæ, & passiuæ, eorumque excommunicationem (vti, & ipse Iudex agnouisset, si debitis præcedentibus citationibus, & alijs de iure faciendis de hac causa cognouisset) satis manifestum est ex istorum admissione ad Capitulum, electionem ipso facto nullam ex infra dicendis euasisse.

39 Neque ad hanc solam admissionem istorum quatuor reducitur huiusmodi nullitas: fuerunt enim etiã admissi contra hæc iura Definitores, quorum ius ad suffragandum expirauerat, dum noui Definitores in quolibet Capitulo Prouinciali eliguntur antè electionem Prouincialis, & sic per electionem nouorum Definitorum cessant iura eorum, qui tales fuerant in præcedenti Capitulo deputati, nec possunt isti ampliùs in electione Prouincialis suffragium ferre; vt speciali Constitutione declarauit sanct. memor.

Vrba-

Vrbanus VIII. anno 1632. *impressa in Bullar. Carmelit. tom. 2. constitut. 44. dic. Sum. Pontif. fol.* 438. ibi : *In supremo &c. Nobis expositum fuit, quod in dicta Prouincia Castellæ Definitores Capituli Prouincialis præteriti, in Capitulo Prouinciali sequenti, vsque ad electionem Prouincialis inclusiuè, sub prætextu v. sus introducti, quodque id aliquando à Priore Generali dicti Ordinis concessum fuit, vocem habere prætendunt. Cum autem, & Constitutiones, & Statuta Generalia dicti Ordinis, præmissis repugnent &c. Nos opportunis remedijs, &c. quod de cætero in Capitulis Prouincialibus dictæ Prouinciæ nullus prædictorum Definitorum vocem habere possit, aut debeat &c. tenore præsentium statuimus, & ordinamus &c.* Et concludit cum clausula *sublata, & decreto irritanti*, contra quam adeò apertam Apóstolicæ Constitutionis legem, & declarationem non potuerunt, neque Reuerendissimus Generalis, neque Excellentissimus Præses Definitores præteritos ad suffragium ferendum admittere, cum resistant dicta clausula *sublata, & decretum irritans*, quibus ea omnia, quæ contra huiusmodi Constitutionem gesta fuerint, penitùs annullantur ad firmat. per *Rot. dec.* 206. *n* 2. *cor. Peutinger. dec.* 525. *n.* 2 *coram Merlin. decis.* 139. *num.* 14., *&* 15. *coram Otthobon. & decis.* 1696. *n.* 26. *coram Emer. Iun.* Neque horum admissio vllam habet excusationem, vt ostendit aduersæ partis silentium vsque modo in hoc puncto.

40 Quibus etiam accedit ex hoc eodem capite admissio P. Iosephi Ouiedo, cui titulus Magisterii collatus fuit ad hunc effectum per saltum, & sine ascensione per gradus, & lecturam præscriptam à Constitutionibus, quod exaduerso non negatur, quod quia pertinet ad augumentum Vocalium merè titularium, cadit sub expressa prohibitione Sac. Concilii Trident. *sess.* 25. *cap.* 6. *de regular.* qua annullantur electiones, quæ fiant nouas voces augendo, & violata etiam inuenitur declaratio, & resolutio huius Sacræ Congreg. *die* 18. *Martij* 1700. pro Ordine Carmelit. quæ pro regula in ordine habetur, *& extat in dicto Bullario tom.* 2. *inter Constitutiones, & decreta felic. mem. Innocent. XII.* ibi : *In causa PP. Ordinis Carmelitarum super Magisterijs, & alijs gradibus Sac. Congreg. &c. censuit. ac declarauit : Gradus omnes Magisterij, Præsentaturæ, Bacalaureatus &c. Et indulta etiam PP. Prouinciæ quadragenariorum, & aliarum exceptionum à quocumque Superiore Ordinis concessa, & concedenda contra formam Constitutionum Ordinis, & ordinationum Apostolicarum non sustineri.* Et cum in Constitutionibus Ordinis *part.* 1. *cap.* 17. postquam statuuntur ea, quæ obseruari debent pro obtinendis gradibus Bachalaureatus, Magisterii &c. concludatur *num.* 1. quod aliter ; *Nullus imposterum instituatur Magister, Præsentatus, vel alius, qui dicitur de gratia Graduatus, neque ex saltu, etiam si per aliquot annos se exercuerit in studijs &c.* concludendo : *super quo nec possit dispensare*

Re-

Reuerendissimus, inde constat, quod admissio dicti P. Ouiedo fuit penitùs iniusta, & procurata in augumentum Vocalium, de quo fusiùs in præcedentibus scripturis, quod est expresè prohibitum iuxtà præallègata.

41 Ex quibus omnibus indebitis admissionibus venire indubium non potest nullitas huius electionis, stante dispositione Sac. Concilii dicta *sess.25.de regular.cap.6.* quæ annullat electiones, quæ fiant nouas voces in electionibus constituendo ibi: *Ne inposterum liceat ad effectum electionis facienda CONSTITVERE, aut voces, & suffragia absentium supplere, si verò contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit*: & cohærenter decreto *Sac.Congreg.Concilij ad d. cap. In vna Bulgariæ apud Matthæuc. de Offic.Curiæ cap.18.num.19. Sac. Congregatio censuit cauendum, ne deinceps TITVLARES CONSTITVANTVR ad effectum electionis facienda, aut voces, & suffragia absentium suppleantur*: Et stante etiam Constitutione Vrbani Octaui laudata §.37., & Constitutionibus Ordinis, de quibus proximè; Et *cap. Messana 56.; & cap. Quia propter de electione* ibi: *Præsentibus omnibus, qui debent.* Et concludit annullando suffragia, si aliter, procedatur: Ideoque Sabell. in *Summ. diuersorum verbo election.8* cum multis ait: *Electio facta ab Vniuersitate, vel Collegio, in qua cum habilibus interuenerint aliqui inhabiles, & ius eligendi non habentes, EST NVLLA IN TOTVM, cum ratione inhabiliũ uitietur etiã quoad habiles, quia in indiuiduis, prout est actus electionis per scrutinium, utile per inutile uitiatur. Baldus, & alij in cap. Messana 56. de electione &c. Sperel. dec.161.n.38.* ibi: *adest insuper, & altera nullitas, quia fuit ad uotandum admissa Monialis adhuc non professa, quę nondum est de Capitulo, nec poterat electioni interuenire Text. est in cap. Ex eo 32. §. In Ecclesiis de elect. in 6. ubi id notat Lapus Abb. Archid. Gemin. Ioann. Andr. Anchar. Ioan. Monach., & Francus, & consequenter irrita fuit in totum electio ob illius indiuiduitatem, & propterea utile per inutile uitiatur. Dec. cons.332. num.5. Cecc. cons.12. num.30. Guttier. Can. qq. cap.15 n.114. Rota dec. 471. num.9. part.1. diuer. Irant. de protestat. consider.16. n.1.* ibi: *Nulla est electio si ad eligendũ inhabilis admittatur, & unius Electoris inhabilitas aliorum electionem nullam, & irritam reddat. Ita Georgius Caredo decis.84. num.15. par. 2. Mastrill. de Magistrat. lib.1. cap.23. num.53. Francis. Capiblanc. de Baronib. pragmat. §10. num. 80.* Donat. *tom. 2. de elect. tract. 2. quæst. 15.* qui quærens: *AN CAPITVLVM DE CONSENSV MAIORIS PARTIS POSSIT CONCEDERE, VT QVI NON HABET VOCEM IN CAPITVLO ILLAM HABERE POSSIT?* Ait: *RESPONDEO ABSOLVTE NEGATIVE, ETIAMSI OMNES CONSENTIANT &c. nec stat in posse Capitularium aliquem habilitare ad eligendum, nisi iu-*

sta

ſtatuta, & priuilegia à Papa, & colligitur ex dicto cap. Quia propter de electione &c. ſecus electio reddetur nulla, vtpotè celebrata contra formam d. cap. Quia propter, vt ibi Abb. notat nu. 3. & Megal. in promptuario verb. Capitulo num. 4. & communitèr omnes.

42 Nec prætereundum eſt pro coronide huius puncti, quod qui morti proximus erat, & grauiſſimo morbo laborabat, ita vt eadem electionis die obierit, adhuc vrgentia captandi eius ſuffragium tanta fuerit pro parte P. Rios Aduerſarij, vt curauerit, quod in illo ſtatu ſemiuiuus curru translatus fuerit ad Domum Capitularem, vt ſuffragare poſſet: quis autem non videt ex hoc actu affectatiſſimum ſtudium vniendi quocumque modo poſſet pluralitatem ſuffragiorum, tot illicitis modis, pro ſe euehendo ad munus Prouincialis, de cuius conſecutione, acta omnia teſtantur, quantum ipſe diffidebat, quodque ſi maiorem ſuffragiorum partem his artibus non expiſcaſſet, minimè tot ſuffragia in electione habuiſſet.

43 Ex contextu autem huiuſmodi actuum, qui nullitatem important, reſultat aliud tertium (alias quartum), & præcipuum nullitatis caput, metus nimirum iuſtiſſimè concepti, quo hæc electio celebrata fuit pro Reuerendo P. Rios. Nolumus circa hoc vti ijs, quæ reſultant ex Vocalium declarationibus, ſed præcisè ſtando in ijs, quæ ex relatione aſſerti Iudicis delegati, & ex factis notorijs conſtat, vt ſupra, ſicut ex proteſtationibus ante, & poſt Capitulum, ſupplicamus tantummodo EE.PP., vt benignè illas dignentur attendere conformiter ad relata verba teſtimonij aſſerti Iudicis, & ex ibidem relatis ponderare omnia ea, quæ reſultant ex facto ſecuto in Collegio D. Alberti cum tam præcipitanti modo procedendi in omnibus, & per omnia, ex quibus indubiè conſtat, quod legitimus. & iuſtus fuit timor conceptus, & iniuſtè illatus Vocalibus, qui hiſce prius expertis, & auditis quoque fautorum Aduerſarij iactationibus, & minis, quibus prius in alijs Conuentibus, & deinde in ipſa Domo Capitulari proclamabatur omninò volita electio P. Rios, fuit neceſſarium, quod idem P. Gonzalez rogaſſet amicos ſuos ſuffragium ferre (ad horam) in illius fauorem ad vitanda grauiora damna, alitèr præuiſa, & ſequenda, vt conſtat etiam ex informatione ſummaria facta per aſſertum P. Prouincialem Rios, & ex proteſtatione R.P. Gonzalez *d. Summ.n.* 10.

44 Cum vero ex huiuſmodi metu iuſtè concepto ſublata remanſerit Vocalibus ea plenaria libertas à Sacris Canonibus requiſita pro electionis validitate ad *Text. in cap. Cum terra de elect.* hoc ſolum exuberat, vt è contra electio remaneat irrita, quemadmodum illam irritari ex metu ſolum reuerentiali erga grauem Perſonam tradunt *Gloſa in cap. Tuæ fraternitatis verb. importunita-*

tem

tem de præben. ibique Imol. *num.* 2. Rebuf. *tom.* 2. *Constit. Reg. tit. de rescript. art.* 1. *Glosa* 3. *verbo Item non valet electio*: Abb. *in cap.* 2. *quod metus causa num.* 4. Gutierez *quæst. Canon. lib.* 1. *cap.* 37. *num.* 17. & 18. Samuel *de elect. latissimè, & egregiè tract.* 2. *controuers.* 7. *à conclus.* 1. *ad* 5. *per tot. & signantèr num.* 13. ibi = *Metus reuerentialis in casu nostro ad electionem irritandam, & omnes actus à libera voluntate pendentes annullando absolutè loquendo datur in eo, qui iure aliquo subiectionis alteri subest.* Passer. eodem *tract. cap.* 4. *num.* 28. *cum seqq.* vbi licet ponat metum reuerentialem erga Superiorem esse iustum, & honestum, tamen si non à sola virtute procedat, sed sit mixtus cum timore aliquo tollente libertatem tunc concludit exindè irritari electionem.

45 Et egregiè Lezana *qq. mor. par.* 1. *cap.* 15. *num.* 25. ibi = *Debent electiones esse omninò liberæ, itaut alitèr factæ sint ipso iure nullæ ex cap. vbi periculum* §. *Cæterum de elect. in* 6. *vnde omnis electio per metum, etiam reuerentialem facit electionem saltem in foro conscientiæ irritam*, & tom. 4. consultat. 10. num. 4. & 5. ibi = *Celebratum est cum violentijs, & metu graui &c. electiones autem sic factas, non solum irritari debere, sed etiam ipso iure irritas esse, colligitur ex cap. bon. mem. &c. quod adeò verum est, vt sola iusta, & probabilis suspicio metus ad id sufficiant, quia illa habetur pro metu* = Et similiter loquitur P. Antonius à Spiritu Sancto in *Directorio Regularium tract.* 5. *disput.* 2. *sess.* 6. *num.* 99. 100. Pignatell. *consult.* 17. *num.* 4. *vers. Iustum autem tom.* 7. ibi = *Iustum autem metum incutiunt sola quandoque alicuius Potentia.* Rota *decis.* 326. *num.* 12. & *per tot. coram Gregorio XV.* Peirin. *de Religios. subd. tom.* 1. *quæst.* 1. *de obedient. cap.* 31. §. 8. Castell. *de elect. cap.* 4. *num.* 56. Barbos. *in cap. bonæ mem. num.* 3. & 11. Miranda *in Manual. Prælat. tom.* 2. *quæst.* 23. *ar.* 1. Aldana *constit.* 77. *num.* 11. concluliuè, & late Thomas Sanchez de *Matrim. lib.* 4. *disp.* 18. *a num.* 7.

46 Propterea si vrgebat præsentia potentis Præsidis, quæ ratione Personę, & supremę eius potestatis erat necessariò contradicentibus metuenda ex his, quæ experta fuerant ab eius Subdelegato; Si aderat promptus ipsemet Iudex illicò præcipitans ad censuras *cum termino duarum horarum* armata manu procedens, habensque copias satellitum, & militum; si actu exercitæ sunt violentiæ per eumdem Iudicem in Collegio Sancti Alberti; si conculcatis constitutionibus Ordinis, & iuribus naturali, & Diuino, à quo citatio, & defensionum assignatio veniunt; si iam aliqui Vocales inauditi reiecti fuerant à suffragio ferendo, & excarcerati, quamuis essent excommunicati, & priuati voce actiua, & passiua admissi, nullo efformato illorum causæ iudicio, & indè multiplicati Vocales contra omnia iura, negari nequit, quod in

tali

tali electione, vltra reuerentiam, violentiæ intercesserint, quodque conceptus fuerit a Vocalibus legitimis metus, vnde electio non remanserit in libertate Eligentium, & ex hoc capite plusquam irrita sit.

47 Inutilitèr in his terminis exaduerso recurritur ad extrinsecos actus solemnitates, proponendo quod Vocales acquieuerint electioni, suffragium tulerint in personam P. Rios, secutamque eius electionem in Sessionibus Capitularibus approbauerint; Nam antecedenti die, decem, & nouem Vocales penès acta Notarij publici fuerant protestati = *Dall'Elezzione che il giorno seguente douea farsi, e da tutti gl'atti antecedenti, e susseguenti alla medesima, e benche in publico aderisse à quanto proporrebbe detto Monsignor Illustrissimo tanto nella legitimatione de voti, quanto in tutte l'altre cose occorrenti, s'intendesse, che il suo consenso era violentato, e ne riclamaua senza pregiudizio di poter ricorrere alla Sag. Congregatione de Vescoui, e Regolari, alla quale sin dall'ora appellaua &c. senza che gl'atti, che si facessero di suo consenso, douessero intendersi auer più valore di quello le dasse vna mera toleranza per rispetto, e venerazione di Sua Signoria Eccellentissima* = *dicto Summario nu.* 10. si ergo præmissa huiusmodi protestatione accesserunt electioni P. Rios, aliosquè actus gesserunt, sine alia contradictione manifestum est, quod omnia pocesserunt ex eodem metu, de quo fuerant protestati, nec quicumque sint actus subinde facti, etiamsi præseferant liberam voluntatem, vllum important recessum à præcedenti protestatione, nec metum purgant, nec nullitatem electionis, vt docent Panormitan. *in cap.* 1. *de his quæ vi, & metu*. Natt. *consil.* 451. *num.* 3. Menoch. *præsumpt.* 4. *n.* 23. *lib.* 3. Rota *decis.* 771. *num.* 8. *&* *decis.* 2127. *num.* 50. *&* 2152. *n.* 8. *cor. Coccin.* Sed imò eumdem metum, indeque inductam nullitatem magis confirmant, vt tradit Sigsmund. de Bonon. *de elect. dub.* 54. num. 14.

48 Specialissima est in hoc puncto auctoritas Sac. Rot, *decis.* 342 *n.* 3. *coram Greg. XV.* ibi = *Quamdiu enim durat causa metus quicumque actus fiat, & si præseferat liberam voluntatem, & lætum, iucundumque animum nedum metum non purgat, sed potius eum magis confirmat, vt dixit Rota &c.* & laudat innumeros, & Lezana *oper. moral. tom.* 4. *d. consult.* 10. *num.* 50. *ad* 52. cum pluribus sequent. ibi = *Cum protestatio semper durauerit, nec opus esset illam in singulis actibus replicare, metus enim, & violentia tamdiu durat, quamdiu durat eius causa, quamuis in actu externo appareat omninò libertas, vndè quicùmque actus fiat, etiamsi præseferat liberam voluntatem, & lætum, iucundumque animum, nedum metum non purgant. Panorm. &c. sed potius eum magis confirmant, & dixit &c. & hoc procedit quamuis quodcumque temporis spatium intercedat inter actum, & metum incussum ad illius effectum.* Et eodem modo loquitur S. Rota *decis.* 465. *num.* 3. & decis. 705. *n.* 1.

par. 2.

par.2.recen. Menoch. *de præsumpt.*4 *num.*23. *lib.* 3. Natta *cons.* 451.*num.*3. Paris. *cons.* 55. *num.* 7. *lib.* 4. Abbas antiquus *in cap. super hoc vers. filia* Alexander *consil.*99. *num.*9. *lib.*3. Sanchez *de Matrim. lib.*4.*disp.*18. *vbi fusè*.

49 Et prosequitur idem prælaudatus Lezana *num.* 54. ibi : *Similitèr non obstat, quod Gremiales dicti Capituli interrogati post electiones tribus vicibus; Est ne qui opponat? Nullus reclamauerit, tum quia axioma illud, tacens consentire videtur, desumptum ex l.2.§. Voluntatem ff. solut. Matrim. Et ex l. qui tacet, non procedit, quando Ius resistit, prout contingit in proposito; siquidèm contra Ius, & fas admittebantur inhabiles ad electiones, & excludebantur aliqui ex habilibus, vt dictum est.* Gloss. *in cap. Per hunc* 2. *quæst.*7. Masc. *de probat. conclus.*1153.*num.*52. Barbosa *in axiom. Iurium axiom.* 217. *num.* 6. *tùm præcipuè quia quando tacens contradicendo actum impedire non potest, tunc etiamsi taceat non censetur consentire.*

50 Sed quid his immorandum? quando etiam nulla præcedente protestatione, nec metu, post factam electionem potest contra eam opponi, quando oppositio tendit ad aliquod votum ex concurrentibus annullandum, quod ipso Iure nullum est, & cognitum non fuit, vt est Textus expressus in *cap. Si quando de elect. in* 6., & videri potest eius Glossa, & Lezana *tom.*4. *d. conclus.*10. *n.* 61. & 62. Imò & ipsi Electores, qui omninò liberè consenserunt electioni, propter causas de nouo emergentes, & priùs ignotas possunt electioni postmodum se opponere, vt ex Textus expressus in *cap. Nulli de elect. in* 6. Imò etsi nullus esset, qui electioni se opponeret, constando Superiori de nullitate potest eam cassare, & irritam declarare, vt *dicto loco num.*50. concludit idem Lezana ibi = *Quidquid de hoc fuerit id non tollit auctoritatem Confirmatoris, vt possit ex officio, etiam extraiudicialitèr, prout sibi placuerit cassare, & annullare dictas electiones, & Capitulum ob defectus in ipsis repertos, etiamsi nullus Contradictor adsit, vt dictum est.*

51 Minusque potest Pars Aduersa in hisce terminis insistere suffragiorum numero, iuxta quem putat etiam non numeratis suffragijs eorum, qui illegitimè admissi fuerunt potuisse subsistere electionem, nam primò respondemus de hac pluralitate Votorum nullum fieri posse, nèc debere iudicium ratione metus, qui in ea interuenit, vt demonstratum manet, quod pro satisfactione sufficeret. Secundo respondemus, quod, vt vidimus §. 39. DD. in eo fundant electionem per admissionem illius, qui vocem in Capitulo non habet, nullam, & irritam esse, quod electio est actus indiuiduus, in quibus vtile per inutile vitiatur, vt præter ibi allegatos, loquendo de electionibus Regularium ait Rota *dec.*1539. *num.*21. *coram Coccin.* ibi = *Cum forma sit indiuidua, vtile per inutile vitiatur*. Et citat multos; nàm vt ait eadem Rota *decis.*471. *num.*9. *par.* 1. *diuersor.* = *Quando vnus est pars alterius in hoc casu*

sem-

semper est indiuiduus, cum quilibet ex illis consentientibus influat in totam dispositionem, vt accidit in electionibus, & concordant Roman. *cons.66.num.2. vsque ad fin.* Decius *cons.532.n.5.* Garcia *de Benef. par.5. cap.9. num.200.* Becc. *cons.12. num.30.* Guttier. *quæst.Canonic. lib.2.par.15.nu.114.* Lotther. *de re Benefic. lib. 3. quæst.17.num.12.& 13.* Vndè vnus solus admissus, qui suffragio notoriè careret, sufficeret ad annullandam electionem, etiamsi omnes alij suffragium dederint Electo, præcipuè stante dispositione S.Concilij *sess.25.de Regular. cap. 6.* prohibente cum clausula irritante augmentum suffragiorum.

52 Tertiò respondemus, quod si hæc doctrina sustineri posset, inutilis esset dicta Sac. Concilij dispositio, inutilisque annullatio electionum per eum factarum, ibi = *Si verò contra huiusmodi decreti constitutionem aliquis electus fuerit electio irrita sit* = inutilisque etiam esset Constitutio Vrbani VIII. laudata §. 37., inutilesque insuper essent supralaudatæ Declarationes Sac. Congregationis §§.38. & 39., ac inutiles itidem Constitutiones Ordinis præcitatæ §.38., imò & omnes dispositiones Canonicæ: quandoquidem fere semper ex hoc capite possent approbari electiones, quantumuis his, & similibus nullitatibus fuissent implicatæ, cum ex vna sola voce nullitèr adiecta dependere possit, vt frequentèr accidit, quod, qui eligitur maiorem numerum suffragiorum acquirat, & cum in hoc casu frequentissimum sit in electionibus, quod minor pars maiori accedat, & ferè per omnia suffragia electus euadat, timore non remanendi in displicentia cum Electo, alijsque motiuis in practica notorijs, indè euidens est, quod numquam ex hoc capite augmenti indebiti suffragiorum, euaderent electiones nullæ, & sic approbata fuisset fraus damnata ex mente Sacri Concilij, & Canonum, nec iuxta hæc agi posset de nullitate declaranda. Nec similitèr ob exclusionem Vocalium posset dici de nullitate electionis, si tot sint, qui pro Electo suffragentur, quod exclusi superessent, etiamsi aliàs admissi fuissent, & propter eamdem rationem, etiam ob incussionem metus, aliquibus ex Vocalibus, rarò, vel numquam electio nulla fuisset, si illis non numeratis, sufficiens numerus suffragiorum esset pro Electo, & sic rata fieret electio, in qua Ambientes non curarent per fas, vel nefas augere suffragia ipsis fauorabilia, & legitima excludere, atquè metũ incutere, & hoc pacto omnes dispositiones Canonicæ, iuraque omnia corruerent, & hac via fierent illusoria, nullusque esset, qui de nullitate ageret, contra praxim totius Ecclesiæ, & vsum huius S.Congregationis;

53 Nec Auctores, qui exaduersò in scriptura responsiua afferuntur §.18. probant suum intentum; nàm Saijrus, qui ibi laudatur *lib.2. cap.2. num.10.* in dicto loco nec verbum de hoc habet; Pasqualigus, qui citatur in *qq. moralium quæst.17. per totam*, non loqui-

tur

tur de præsenti casu, sed de electione cuiusdam Abbatissæ, in qua omnes Moniales Ius legitimum ad suffragandum habebant, & monitæ ab Episcopo, quod Abbatissa, quæ munere hoc immediatè functa erat, rursùs eligi non poterat, hoc non obstante, multæ suffragium illi dederunt, & cùm nullitèr in hoc processissent, reliquæ verò legitimè, aliam eligendo; *ideò* (ait) *si non computatis suffragijs inutilibus, adest electio facta per vota vtilia, non debet impediri per inutilia, sed reijciendi sunt inutilitèr suffragantes, tamquàm nolentes eligere*. Et hoc ab omnibus est tenendum, & nihil ad intentum refert; & similitèr Castellin. quem laudat *de elect. cap.5. num.15.*, Cardinalis de Luca laudatus *discurs.3. de regular. num.7.* nihil ibi de hoc agit, cùm solummodò tractet de nullitate cuiusdam electionis, in qua alternatiua inter Nationes non fuit obseruata. Idemque Card. citatus *discurs.53. eiusdem tit. num.13.* agit de electione cuiusdam Abbatis, in qua suffragium dederunt, proùt in consuetudine in Monasterio erat, Monachi, qui non erant in sacris, & ratione consuetudinis prætendit electionem à nullitate vindicare, & ex abundanti in fine ait = *Et quoad interuentum Monachorum, qui non erant in Sacris, iustificabatur in facto Monasterij consuetudo. Ac vlteriùs cùm vota fuissent concordia, nihil referebat dictus interuentus cum mixtura non habentium votum NON CONTRADICTA NON PRÆIVDICET ELECTIONI, quæ ab alijs benè conclusa sit, dùm difficultas cadit, quando alia vota illegitima ipsam electionem concluderent, secùs autèm, vbi ipsis etiam non interuenientibus, actus esset benè conclusus*; vbi obseruari debet non dicere, *quod Contradictor non præiudicat electioni*, vt per errorem Transcriptoris exaduersò exprimitur, sed contrarium, *quod non contradicta non præiudicet electioni*, quod supponit, quod *contradicta præiudicaret validitati*; & hoc ità in electione, in qua omnes fuerunt concordes, & consequentèr nulla aderat necessitas contradicendi; & in casu etiam, in quo nullitas suffragiorum erat valdè dubia, ratione consuetudinis, & possessionis suffragandi, etiam qui non erant in Sacris, quod & nos dicimus, & nullus erit, qui contradicere possit, cùm suffragia dubia non faciant electionem nullam ipso iure, licèt contradicta, & dubio examinato cassari possit; quod totum est extrà rem, de qua agimus, de suffragijs nimitùm certo nullis, contradictis modo, quo potuerunt contradici, & de electione non omnium concordia facta, vt fuerat illa.

54 Passerin. etiam laudatus *de elect. Canon. cap.14. num.24.*, licèt nullo Textu, nulloque Doctore duce dicat, quod *admissio inhabilis non reddit electionem nullam, nisi ex vi nominationis facta ab illo, aliquis sit electus*, in eo tamen sensu contra Sententiam

Do-

Doctorum abundat, quod eo casu non est nulla ipso iure, ac de cętero non negat, quod si contradicatur annullari debeat, quandoquidem *eod.cap.*14.*num.*34., & 44. ait suffragium dubium admitti non debere in Capitulo, nè electionem dubiam reddat, ideoque cassandam: Quodquidem licèt sustineri posset, nihil probat pro casu præsenti. Laudatur tandèm declaratio Sacræ Congregationis Ponente Eminentissimo D. meo Spinola, quæ non est ad rem: ex abundantia enìm hæ authoritates fuerunt adductæ à D. Vrsaya, vt ex *eadem sua disceptatione* 9. *part.* 2. *tom.* 4., ad quam se remittit, satis apparebit. Fuerunt enìm multa, & grauissima motiua, ob quæ declarari debuit nullitas Capituli, *ibi videnda*. Decretis autèm Sacrarum Congregationum non remanent approbata omnia, quæ in scripturis, vel ad ornatum, vel ex abundantia afferuntur, & idem dicimus de illa alia declaratione in *Baren. anni* 1712.

55 Ex his omninò demonstratam credimus nullitatem huius controuersæ electionis, ob quatuor allata capitula præcipua, restrictiuæ videlicèt, exclusionis legitimorum Vocalium, admissionis illegitimorum vocem non habentium, & metus incussi, ex quibus nullitatibus satìs resultat, quod nullo modo agi possit de illius sanatione; Sunt enim dictæ nullitates nedùm plurimę ex singulis capitibus, sed etiam nimium graues; nec credimus viam esse aperiendam, vt Sacri Canones conculcentur spe talis sanationis, (quam aliàs idem P. Rios anno 1715. reportauit ex mera gratia,) vt frequentèr hæc S. Congregatio experitur, maximè quando tota Prouincia commota est, vrgetque pro præsenti timor vindictæ contra eos, qui sese legitimè opposuerunt, & pro futuro continuatio miserrimi status, in quo posita est Prouincia, & violenta dominatio, cui subiecta reperitur; & quando vlteriùs constat dë præcedenti ambitu ex confessione ipsius Aduersarij in Epistola data *dicto Summar. Num.*5., plùs vrget, vt de sanatione verbum non fiat. Nàm inquit Text. *in Can.*1. *quæst.6.caus.*3. *sicùt is, qui inuitatus renuit, quæsitus refugit Sacris Altaribus est admouendus; sic qui vltrò ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubio repellendus*. Et benè Lezana *citat. consult.*10., & *sequent.* ait = *Si autèm tales electi ambitiosi fuerunt, vtique indigni reputantur. Ambitiosus autèm, nedùm confirmari, sed potiùs, (vt per hyperbolem) dixit Sigismundus de Bonon. suprà num.*61. *decapitari meretur. Glossa verb. ambitiosus: denique etiam si aliàs esset Sanctus, proùt de istis PP. Religiosis existimari debet, ex ambitione redditur indignus.* = Tanto denique fortiùs, quando peccatum fuit sub spe obtinenda eamdem sanationem. Quæ hoc ipso non est admittenda, vt latiùs in præteritis Informationibus.

54 Pro

56 Pro quo hodie hæc specialis ratio concurrit, qua ampliùs firmatur spe huius sanationis omnia facta fuisse: cum enim Vocales prætendentes nullitatem electionis, post decretum Sac. Congregationis *Dilata*, audierint ab Eminentissimo Cardinali Ponente desiderium vtramque partem componendi, & continuo ob reuerentiam debitam prædicto Eminentissimo ejus nutibus talitèr se subjecerint, vt totum suum jus, & arbitrium in voluntate ejusdem Eminentissimi posuerint, & in vim hujus obsequiosæ resignationis Eminentissimus Ponens de reducendis Aduersarijs curauerit, hanc resignationem in illis minimè inuenit: quandoquidem semper supposuerunt electionem P. Rios, sanari omninò debere; quod satis ostendit necdum animum, quo omnia facta fuerunt, hanc sanationem consequendi, verum, & conatum illum maximum, quo gubernium Prouinciæ dictus Pater ambit, quando non obstante nullitate suæ electionis, tamquam præliminare vult, vt sua permanentia in Officio semper firma maneat; & licet ex hoc solo motiuo eam demereretur, ne ex hoc impediri posset compositio, Eminentissimus Ponens securus de resignatione Recurrentium benignitèr huic prætensioni annuit: Itaque compositionem tractando, quantum ad reliqua, incipiendo a Definitorio disposuit, quod ex octo Vocalibus, ex quibus istud componitur, quorum duo sunt P. Rios vti nominatus Prouincialis, & Pater Gonzalez, vti Prouincialis absolutus, tres ex reliquis sex fuissent juxta deuotionem Rev. P. Rios, & alij tres juxta eam Rev. P. Gonzalez, & insuper, quod vnus indifferens de nouo creari pro hac vice posset authoritate hujus Sac. Congregationis, & descendendo ad Prioratus similitèr disposuit, quod ex vigintiquinque de quibus Prouincia componitur, vltrà duo Hospitia, octo deberent nominari ad deuotionem ejusdem Rev. P. Gonzalez, & tres qui vacauerant, à tempore Capituli de nouo eligerentur fauore Rev. P. Gonzalez, vel de hoc partes interse tractando, vel electionem nouo Definitorio relinquendo, reliquis quatuordecim remanentibus in fauorem Partis aduersæ: hæc fuit propositio Eminentissimi Ponentis, & licet primò Aduersarij illam in multis repugnassent, volentes potius dare legem quam eam recipere, tandem compositionem ita illis fauorabilem ab Eminentissimo benignitèr dispositam amplexati sunt, & cum Recurrentes totum suum arbitrium adhuc, & Iustitiam posuissent in manibus Eminentiss., licet agnoscerent, quod hac via pars aduersa consequebatur quantum desiderare poterat, virtute tamen suæ amplissimæ resignationis ausi non fuerunt replicare.

57 Quis crederet Eminentissimi PP. quod Aduersarii, qui tantàm benignitatem experiebantur ab Eminentissimo in tam fauorabili laudo pro communi quiete, & in causa nullitatis tam claræ, & ipsis

ipsis Aduersarijs non ignotæ, juxtà quam timere debuerant omnia facta cassari, & a Prouinciali vsque ad vltimum Priorem omnes deponi, & de nouo ab hac Sancta Sede, vt de jure procedit, alios creari, grates profundas Eminentissimo non exhibuissent? Non tamen ita accidit, nam videntes, quod huic temperamento replicatum à Recurrentibus non fuit, existimantes hanc promptam, & reuerentem obedientiam esse, quia de justitia suæ causæ diffiderent, quasi de victoria securi, de Reis in Actores conuerti, Eminentissimo inexpectatum dederunt responsum; se arbitrium ab eodem dispositum amplecti jam non posse sub prætextu, quod mandatum non habebant à suis Principalibus, vt de his agere possent, de quo PP. recurrentes per eumdem Eminentissimum certi facti fuerunt, qui subjunxit, quod poterant, si vellent, de nouo scribere.

58 Continuò ergo operæ prætium PP. Vocales existimarunt, omnia sua jura in hac noua Informatione compilare, quæ in præcedentibus scripturis, vel solum leuitèr attigerunt, vel in totum omiserunt, quia illis indigere non existimabant; hodiè tamen pro tollendis aliquibus æquiuocationibus necessariū putant fusiùs omnia denuò exponere. Et cum de rectissima Iustitia hujus Sac. Congregationis debeant omninò sperare, & credere remedium desideratum contra euidentem nullitatem controuersæ electionis, humilitèr, & enixe deprecantur, quod si quæ in scriptura exponuntur, hoc mereatur nullitatis judicium, vt nulla ex gratijs, priùs Aduersarijs ex benignitate oblatis, illis denuò concedatur, cum gratiam demereatur, qui loco gratitudinem exhibendi, post ejus acceptationem turpitèr eam respuit.

59 In hoc tamen, sicut, & in omnibus omninò libentissimè etiam se, & omnia ipsorum jura, sicut nutibus Eminentissimi Ponentis grato animo reliquerunt, regulatissimo etiam, & prudentissimo Sacræ hujus Congregationis consilio, & arbitrio submittunt; sperant tamen, & iterum enixè supplicant, quod quatenus aliquod temperamentum desumere huic Sac. Congregationi placeat, non dedignetur reflectere, quod ob tam notabilem mutationem circumstantiarum omninò etiam mutare fas erit arbitrium, quod Aduersarij acceptare noluerunt, cum nec mutatio omnium Priorum, quę de justitia nullitati Capituli respondet, æquiualere possit sanationi, & continuationi Prouincialis asserti, quæ tunc Aduersarijs, ne de hac causa vltra ageretur, in obsequium Reverendissimi Præsidis concedebatur; Et cum hodiè hoc tam singularis gratiæ spretum habeamus, & nullitatem Capituli clariùs elucidatam, videtur concedi hanc gratiam non posse, quam certè nec convenire pro comperto habemus, quandoquidem certo certiùs hac via, necessitati illius Prouinciæ, nec pro præsenti,

nec

nec pro futuro occurri queat, cum Provincialis, qui totius ele-ctionis præcipuus scopus fuit, in suis facultatibus, etiam absque vlla protectione nedum totam Provinciam in potentia, & virtu-te contineat, sed etiam Definitorium, ita vt de facili, Definitorem indifferentem, imò & Definitores ad se attrahere poterit, & in omnibus Dominus Provinciæ in perpetuum manere, & Vocales assiduè ità mortificare, vt deserere Provinciam forsan cogantur. Quare &c.

Joseph Andreas Scaramutius Adu.
Xauerius Musti.

SACRA
CONGREGATIONE
Episcoporum, & Regularium
Emo, & Rmo D.Card.
S. AGNETIS
PONENTE
Ordinis Carmelitarum Prouinciæ Boethicæ.
PRO
RR.PP.Vocalibus eiusdem Prouinciæ.
CONTRA
R.P. Fr.Didacum Thomam delos Rios
& litis &c.

Nouus Restrictus Facti, & Iuris.

Typis, Zinghi, & Monaldi 1726.

Parte